



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LIII. De Obligatione discipulorum erga Magistros; & Magistrorum erga discipulos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Erotem. Eccles. Cap. LIII. De Obligat. Discip. &c. 89

possint resistere Dominis, vel eos deserere. Secus si grave detrimentum sentirent, forsitan, quia alium non reperirent pro servitute præstanda. Sanchez in *Consil. Moral. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 18. num. 16. S. Antonin. in Summ. 2. part. tit. 9. cap. 7. §. ultimo.*

10. *Quer.* An peccent famuli comitantes herum euntem ad meretricandum, vel deferentes munera, aut litteras meretrici? *Resp.* Olim DD. docuisse, non peccare, maxime si id facerent ad evitandum grave damnum, & obirent tantum materialiter ministerium illud. Bonacina de *Matrim. quest. 4. punct. 14. num. 6.* Secus si cooperarentur aliquo modo adjuvando herum in ingressu domus; vel hortando meretricem ad consentiendum; qui enim hæc faciunt, non excusantur à peccato. At nunc hæc opinio est una ex damnatis ab Innocentio Papa XI. *dict. die 2. Martii 1679. ubi num. 51. sic ait: Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter; si id faciat metu notabilis detrimenti; puta ne à Domino male tractetur; ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. Igitur hæc omnes actiones sunt peccata mortalia, quia sunt immediatè cooperativæ offensæ Dei, quam Herus vult committere; cui famulus non debet opem suam contribuere, prout docent DD. quos citat ipse Bonacin. d. punct. 14. num. 6. in fine; & Cardenas in *Crisi Dissert. 31.**

11. *Quer.* Quænam sit obligatio Dominorum erga suos famulos? *Resp.* Duas esse; unam, procurare, ut vivant cum Dei timore. Alteram, ut eis debita alimenta, ac salarium ministrent. Coton. d. lib. 5. *Contror. 5. num. 74.*

12. *Quer.* Quid agendum Dominis, si famuli sint nequam, seu vitiosi? *Resp.* Debent eos corrigere; & ita agere, ut se emendant. Quod si contumaces sint; tenentur, eos à suo servitio expellere. Azor. *part. 2. lib. 2. cap. 39. quest. 9. Coton. dict. lib. 5. Contror. 5. num. 80.*

13. *Quer.* Utrum Dominus expellens servum domo nondum completo tempore constituto, teneatur ei solvere integrum salarium? *Resp.* Affirmativè, nisi expulsi esset ob suam culpam. Bonacin. de *Contract. disp. 3. q. 7. punct. 4. num. 11. ubi DD.*

14. *Quer.* An famulus discedens à servitio Domini ante constitutum tempus, perdat totam mercedem? *Resp.* Asserere Azorium, negare Bonacinam supracitatum; qui vult, dandam esse mercedem famulo ad ratam temporis, quo servivit: nisi magnum damnum resultaret Domino ex illo discessu; tunc enim posset sibi retinere salarium titulo compensationis.

15. *Quer.* An famulo ægrotanti debeat Dominus solvere salarium? *Resp.* Esse famulionem questionem apud Juristas, & Theologos; circa quam tres sunt opiniones. Una, quod debeat salarium. Ita Salicetus, & Speculator apud Petr. Navar. *lib. 2. cap. 2. num. 213. & apud Azor. 2. part. lib. 2. Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.*

cap. 39. Alia, quod non debeat salarium, sed alimenta tantum. Ita Sylv. & Angel. *Verb. Famulus.* Tertia, quod standum sit consuetudini, vel conventioni. Bonac. de *Contractib. d. disp. 3. quest. 7. punct. 4. num. 13. & Reginald. lib. 25. num. 517.* Et hæc videtur in praxi tenenda. Coton. d. lib. 5. *contror. 5. num. 77.*

16. *Quer.* An, famulo ægrotante, Dominus teneatur, ei subministrare medicinas ære proprio? *Resp.* Negativè; nisi ex charitate; quod si famulus non habeat ad eas sibi emendas, ire debet ad Hospitale Coton. *ibid. num. 76. & Bonacina d. punct. 4. num. 13.*

17. *Quer.* An Dominus loco pecuniæ conventæ, possit satisfacere famulo aliis rebus? *Resp.* Negativè, nisi liberè consentiat, & nullum detrimentum patiat in pretio rerum; quas si minoris vendere cogeretur, Dominus esset obligatus ad restitutionem damni; quod utinam adverterent Mercatores, qui operariis suis pro mercede non dant debitam pecuniam; sed pannum, vel calceos eo pretio, quod ipsi operarii habere non valent, dum vendunt minoris res illas. Bonac. *dict. disp. 3. de Contract. quest. 7. punct. 4. num. 15.* Hinc ex Dei punitione hi Mercatores frequenter evadunt falliti, & reducuntur ad inopiam.

18. *Quer.* An famulo conducto ad serviendum Collegio certa mercede, hæc sit ei augenda, si numerus Collegialium augeatur? *Resp.* Negativè, nisi excessivum esset augmentum; vel nisi merces data fuisset, habito respectu ad personas singulares. Bonacina d. *punct. 4. num. 16.*

CAPUT LIII.

De Obligationibus Discipulorum erga Magistros, & horum erga illos.

1. *Quer.* Quæ, & quot sint præstanda per discipulos Magistris? *Resp.* Tria, scilicet, Reverentia, Obedientia, & Stipendium. Moscon. de *Majest. Militan. Eccl. lib. 2. cap. 6. prope fin. Surdus de Alim. tit. quest. 73.*

2. *Quer.* In quo consistat Reverentia? *Resp.* In hoc consistere, ut discipuli debitum honorem præstent Magistris, quos tanquam Patres debent venerari. *Gloss. in l. Liberto ff. de Obsequiis &c. l. 1. & ibi Gloss. C. de Excus. Artif. lib. 10. ubi discipulus appellatur filius. Ideo discipuli non possunt in jus vocare Magistros sine venia. Surdus d. tit. 1. quest. 53. num. 8.*

3. *Quer.* Qualem obedientiam debeant discipuli præstare Magistris? *Resp.* Eam, quæ decet bonos filios, & convenit eorum studio. Idcirco, si sint contumaces, possunt à Magistris coerceri, & verberari. *cap. 1. 23. quest. 5. moderatè tamen, & cum discretione. S. Antonin. 3. part. tit. 5. cap. 2.*

4. *Quer.* An Magister sit excommunicatus, si discipulum Clericum corrigendo verberet, aut percutiat? *Resp.* Negativè, *cap. 1. & cap.*

M

& cap.

& cap. Ex tenore 10. ubi Gloss. de Sent. Excommunic. Qui textus intelligendi sunt, etiam si discipulus Clericus habeat Ordines sacros. Diana part. 9. tract. 4. resol. 1. Quæ in Coordinato est tom. 5. tract. 2. resol. 15. Fagnan. in c. Cum voluntate num. 32. & 33. de Sent. Excommun.

5. *Quer.* An Magister percutiendo graviter discipulum, ita, ut sequatur mutilatio membri, aut mors ex percussione, fiat irregularis? *Resp.* Affirmative, cap. Presbyterum, & cap. Ad audientiam, de Homicid. Bonac. de Irregularitat. disput. 7. quest. 4. punct. 7. num. 14.

6. *Quer.* Quæ dicatur gravis percussio ad cognoscendum, an Magister factus sit Irregularis, discipulum percutiendo? *Resp.* Eam pendere à Judicis arbitrio; qui considerare debet Instrumentum, quo usus est Magister in corrigendo discipulum; nec non partem corporis, in qua illum percussit: nam si cum baculo, & in capite percussisset, foret irregularis; secus si dedisset palmatam, vel in humeris, vel cum molli cingulo. Fagnan. in cap. Audientiam, à num. 12. & seqq. de Homicidio.

7. *Quer.* An peccet discipulus doctorandus, qui clam legit argumenta sibi à Doctore facienda in Doctoratu? *Resp.* Affirmative; & dicitur peccatum violati secreti; quia contra mentem Doctoris legit illa argumenta, quæ sub secreto apud se retinebat. Item peccatum mendacii, dum simulat, solutiones argumentorum esse in se improvisas, & extemporaneas. Item peccatum vanæ gloriæ, volens videri excellens plusquam sit in respondendo dictis argumentis. Baldell. in Theol. Moral. tom. 1. lib. 3. disp. 11. num. 12.

8. *Quer.* Suspendii causa, quam obligationem habeant discipuli erga Magistrum? *Resp.* Quod solvant ei debitam mercedem pro suo labore, ut possit se alere. l. 2. §. fin. ff. de Orig. Jur. Item ei donaria convenientia mittere. l. Aquil. Regulus. ff. de Donat. l. Cum plures §. Cum tutor, ff. de Administr. Tutor. Surdus de Aliment. dict. tit. 1. quest. 53. Quæ procedunt, si Magister non sit à Civitate, vel à Principe stipendiatus; tunc enim debet esse contentus suo stipendio; & nihil aliud exigere, præcipuè à Scholaribus egenis, aliàs committit injustitiam & Simoniam. Hostien. in cap. Quia nonnulli, de Magistr. Archidiacon. in cap. de quibusdam, dist. 37. Mosconius dict. lib. 2. cap. 6. pag. 758.

9. *Quer.* Quas obligationes habeant Magistri erga discipulos? *Resp.* 1. Ut dent ei bonum exemplum circa probitatem vitæ, & morum honestatem. 2. Ut eis proponant bonos libros; & non permittant, eos legere pravorum Auctores. 3. Ut sint diligentes, & solliciti, ita, ut non sinant discipulos terere tempus. 4. Ut doceant eos illa, quæ possunt capere, & non obruant nimis lectionibus debile ingenium Studentium; sed se conforment eorum capacitati. cap. Oportet, 8. quest. 1. Quod utinam attenderent, qui ex Officio Scholas ducunt, neque discernunt inter ingeniosos, & rudes discipulos; quos ego, cum pluries examinaverim pro susceptione ordinum, reperi plures annos consumpsisse in Studio Philosophiæ, ac Theologiæ inutiliter, quia non e-

rant capaces ob ingenii obscuritatem, & linguæ latinæ defectum; unde à culpa gravi excusari non poterant Scholarum Praefecti, & Praefectorum Superiores. Moscon. dict. lib. 2. part. 1. cap. 6. ad §. Modus docendi. Reginald. in Praxi lib. 2. sub num. 38. §. 10. & §. 11. ubi de his obligationibus.

CAPUT LIV.

De Obligatione Diœcesanorum erga Prælatos; atque Prælatorum erga Diœcesanos suos.

1. *Quer.* Quæ, & quot Diœcesani debeant Episcopis, seu Prælati suis exhibere? *Resp.* Tria, Reverentiam, Obedientiam, & Dilectionis affectum. Alberic. in Dictionar. Verb. Reverentia, ult.

2. *Quer.* In quo consistat Reverentia? *Resp.* In quatuor. Primò, In priorem, digniorem, & sublimiorem locum ipsi Prælato concedendo, tam ambulando, quam sedendo. cap. Non oportet, & cap. Episcopus il. 2. dist. 95. Secundò, In ejus officio non usurpando. cap. Presbyt. ead. dist. 95. Tertiò, Prælatum temerarie non arguendo, vel judicando. cap. Nolite, 21. dist. & Quartò, Prælati defectus non revelando, sed potius cooperiendo. cap. In scripturis, 96. dist. Hinc Cicero in Rhetor. ait: Reverentia est virtus, aliqua pralatione sublimitatis, debita honorificationis cultum exhibens. Et est virtus, quæ spectat, & reducitur ad justitiam, ut docet Emin. Card. de Laureæ in 3. sent. tom. 2. de Virtutibus in genere disp. 25. n. 65. Hinc Reverentia, & Obedientia debita Episcopis appellantur eorum Justitiæ. cap. ult. de Confirm. utili, vel inut. in fine.

3. *Quer.* In quo consistat obedientia debita Episcopis, ac propriis Prælati? *Resp.* In exequendis eorum præceptis, & hæc executio est de intrinseca ratione Superioritatis. S. Thom. 2. 2. quest. 104. art. 1. & in hac virtute consistit vis, & nervus Ecclesiasticæ potestatis. Barbof. de Offic. & Potest. Episc. alleg. 128. num. 5. Hinc extra controversiam est, Episcopos posse condere leges, statuta, & constitutiones pro regimine suæ Diœcesis; ut notant omnes tam Canonistæ, quam Theologi, quos cumulat Baldell. tom. 5. Theol. Mor. lib. 5. disp. 5. num. 13. & tenuit Rota part. 2. rec. decis. 757.

4. *Quer.* An Episcopus in condendis Legibus teneatur adhibere consilium, & consensum Canonicorum? *Resp.* In Legibus particularibus extra Synodum ad nihil teneti. In Synodo, adhibendum ei esse consilium Capituli, non autem expectandum consensum, nisi in certis casibus in Jure expressis. Baldell. dict. lib. 5. disp. 5. num. 18. Squillant. de Obligat. & Privileg. Episc. par. 1. cap. 5. num. 9.

5. *Quer.* Quæ sit differentia inter Leges Episcopi factas extra Synodum, & illas, quas in Synodo facit? *Resp.* Quod hæc sunt perpetuæ, & durant etiam mortuo Episcopo; illæ verò expirant cum morte Episcopi. Barbof. alleg. 93. num. 23. Sperellus decis. 14. num. 21.

6. *Quer.*